



**Disputatio juridica quadragesima, de compensatione : quam
... praeside ... Antonio Matthaeo ... publicè defendet Petrus
Ansloo.**

<https://hdl.handle.net/1874/341615>

DISPUTATIO JURIDICA
QUADRAGESIMA,
DE
CORNELIO VI
COMPENSATIONE.

QVAM

D. THEODORO VRYBURGH DOCT. & M. I.

PRÆSIDE

Viro Clarissimo,

D. ANTONIO MATTHÆO, Juris Antecessore Primario, In illustri Academia Ultrajectina.

Publicè defendet

PETRUS ANSLOO Amstelo-Batav.

Ad diem 7. April. horâ locoque solitis.



ULTRAJECTI,

Ex Officina JOHANNIS à WAESBERGE,
Anno M. D. C. LII.

Nobilissimis, Amplissimis, Consultissimisque

AMVIRISCAVO

D. CORNELIO VLOOSWYCK, Domino de *Vlooswyck, Diemberbroeck, & Papekom*, in Inclyta Amstelodamensium Republicâ, Scabino, spectatissimo,

D. THEODORO VRYBURGH, Doct. Med. in Republica Alcmariana Consuli, & West-Frisiæ, Quæstori dignissimo fid.

D. JOANNI WTTENBOOGAERT, J. U. D. Quæstori Amstelodamensium & Hollandiæ fidelissimo,

D. SIMONI ab HOORN J. U. D. ejusdem Amstelod. Reipubl. Senatori gravissimo, Ex-Scabino, nunc Præsidi judicum ad causas minores delegatorum,

Cognatis suis summo honore observandis.

NEC NON

D. JOANNI BLAEU J. U. D. apud Amstelodamenses Senatori prudentissimo, Ex-Scabino, nunc vero ad causas matrimoniales judici delegato.

D. CORNELIO GEELVINCK J. U. D. Ibidem Senatori Ornatissimo ac ad causas minores judici delegato.

D. PETRO GILLON J. U. D. Viro cum spectatissimo tum integerrimo.

Amicis ac fautoribus suis omni studio colendis,

Hanc de Compensatione disputationem Juridicam,

Honoris & Reverentia ergo

D. D. D.

PETRUS ANSLOO, Respond.

DISPUTATIO JURIDICA
QUADRAGESIMA

DE

COMPENSATIONE.

THESIS I.



Compensatio est liberatio, quæ fit per debiti & crediti contributionem *l. 1. D. h. tit.* Cujusmodi contributio idcirco recepta est, quoniam interest nostra potius non solvere, quàm solutum repetere *l. 3. D. eod.*

II.

Per debitum & creditum intelligimus quantitatem duntaxat: speciei enim cum specie, vel speciei cum quantitate nulla est compensatio *l. 4. C. h. tit. l. 5. D. de impens. in res dot. fact. l. si convenerit 18. D. de pign. act. l. si non sortem 26. §. si centum D. de cond. indeb.* Sanè aliquando etiam in genere & specie locum habere potest: si nimirum idem genus, eademve species utrinque debeatur *arg. l. 1. §. pen. D. si pars hered. pet. Costal. in l. si duorum 42. D. de act. emt. Pac. in Isag. h. tit. Sich. ad l. ult. n. 2. C. eod. Barbof. ad l. divorzio §. ob donationes n. 24. D. Sol. matr.*

III.

Ut par utrinque quantitas debeatur, non est necesse: potest enim compensatio fieri pro parte debiti. *l. 4. l. cum alter II. & ll. seqq. D. h. tit. l. 4. C. eod. §. compensationes Inst. de act.* Unde dubitatum, summam quæ excedit, utrum eodem iudicio consequamur, an verò nova opus sit petitione? Et rectè responsum, nova petitione opus esse, nisi jam ante mutua petitio seu reconventio instituta fuerit. *l. in rebus 18. §. ult. D. Commod. ubi Glos. Bart. Bald. Costal. ad l. 1. D. h. tit.*

IV.

Illud desideramus, ut debitum utrinque liquidum sit *l. ult. §. 1. C. h. tit.* Liquidum autem est, quod confitetur aduersarius *l. si quidem 9. C. de Except. l. ult. pr. C. Quib. ad libert. proclam. non lic.* vel de quo breui liquere potest iudici. Sed quod sit breue illud tempus, fluctuant interpretes: alii iudicis arbitrio relinquunt *Sich. ad rubr. C. h. Rauchb. part. 2. quast. 23. n. 104.* Alii id tempus intelligunt, quod supererat actori ad probandum. *Bartol. ad d. l. ult. Donel. ad §. in bonæ fidei Inst. de act. n. 8. in fin.* Alii tempus intra quod lex vel conventio solvere iussit. *Molin. ad Paris. §. 20. glos. 7. in fin.* quæ postrema sententia rector videtur, *arg. l. auferitur 46. §. qui compensationem D. de jur. fisci. ub. Bartol. l. cum militi 16. §. 1. l. ult. D. h. tit.*

V.

Cum leges debitum liquidum exigunt, manifestum est, debitum purum non compensari cum eo quod debetur in diem, vel sub conditione *l. quod in diem 7. D. h. tit.* Et si x. aut hominem debeas, utrum stipulator elegerit; non ante fit compensatio, quam aduersarius elegerit, *l. si debeas 22. D. h. tit.* Multo igitur magis cessabit compensatio, si debitum per exceptionem elidi possit, *l. quacunque 14. D. de compensat.*

VI.

Ad genera obligationum quod attinet, nihil interest, utrum naturaliter, an civiliter debeat: etiam naturale debitum cum civili compensari potest *l. etiam 6. D. h. tit.* Sed quod tantum civiliter debetur non naturaliter, non potest compensari *d. l. 22. D. eod. l. qui exceptionem 40. D. de cond. indeb. l. 3. §. 1. D. de const. pec.* Nec interest ex contractu descendat obligatio, an ex delicto: dummodo ex delicto agatur pecuniariter *l. si ambo. 10. §. quotiens D. h. tit. l. 5. D. de publ. jud. l. 2. §. qui hoc dicit & §. seqq. l. si uxor. 13. §. iudex D. ad leg. lul. de adult.*

VII.

Sed nec interest, utrum bonæ fidei sit contractus ex quo agitur, an stricti juris *l. 4. l. posteaquam 21. D. h. tit. l. ult. C. eod. & quidem ipso iure d. l. 21. & ult. d. §. in bonæ fidei Inst. de act.*

Nec

Nec adversatur l. 4. C. h. tit. vide Cujac. 6. obs. 16. Horom. & Donel. in d. s. & in d. l. ult. Hoc amplius, etsi in rem actione agatur, compensatio locum habet d. l. ult. Non mirum igitur, habere quandoque locum in hypothecaria. Sand. 3. tit. 17. def. 4.

VIII.

Sane aliquando disparitas causæ efficit, ut meritò compensatio cesset. e. g. Debeo tibi cl. ex mutuo: tu vicissim debes mihi redditum annuum L. aureorum sub hypotheca fundi. Eum redditum dicis ipso jure compensari cum debito personali cl. aureorum: & idcirco ex eo die ex quo invicem deberi cœpit, te liberatum esse: Iniquum foret tuæ postulationi deferri. Nec adversatur l. cum alter 11. D. h. tit. Mornac. ibid. Molin. de usur. quaest. 43. n. 322. & seq. Roder. 2. de ann. reddit. 18.

IX.

Ita etiam disparia sunt debita, debitum simplex, & debitum quo agnoscimus dominium directum: veluti ex causa feudi, emphyteusis, census: cessat igitur & hic compensatio. Molin. ad cons. Paris. tit. de censib. §. 85. n. 17. & 37. Item si filius ex causa tributis agat, vel annonæ militaris, vel petat pretium rei à se venditæ, iniquum visum est, compensationem ei objici; l. ob negotium 20. D. h. tit. l. aufertur 46. §. ut debitoribus D. de jur. fisc. Idem placuit, cum civitas frumentariam vel alimentariam pecuniam petit. l. 2. §. frumentaria & §. seq. D. de admin. rer. ad civit. pertim. l. 3. C. h. tit.

X.

Inde nonnulli colligunt, in causa edulæ, seu victuali non habere locum compensationem. Puta, parochus, qui certo pretio hospitium & mensam præbet, petit mensæ pretium: non poterit ei objici compensatio, secundum Mornacium in d. l. ob negotium, post Bartol. ibid. & Surd. de alim. tit. 8. quaest. 53. Adde Fabr. C. h. tit. def. 7. Sed vix est, ut hæc sententia ex d. l. 20. & d. l. 3. firmiter demonstrari possit.

XI.

Cessat etiam compensatio ex causa depositi, & possessionis perperam, id est violenter occupatæ d. l. ult. C. h. tit.

l. pen. C. de pos. Actio commodati non excipitur: in commodato igitur compensatio locum habeat, necesse est. Nec adverstur l. ult. C. Commod. quam ut fugitivam dicamus cum Cujacio 8. obs. 16. & 15. obs. 12. nihil necesse est. Donel. in d. §. in bona fidei n. 11. Hotom. 12. obs. 20. Pac. 4. antin. 44. Confer. Duar. in l. 7. §. ob donationes D. Sol. matr. Ferret. 1. concil. leg. 8. Forner. 2. select. 14.

XII.

Porro, quantum ad depositum attinet, etiam doli mali exceptionem repellit *l. pen. C. de pos.* Unde quaeritur, si depositarius impensas fecerit in rem depositam, an non eas opposita doli mali exceptione servare possit? Et licet aliis locus visum sit, nobis tamen ea defensio non iniqua videtur. Facit *l. actione 23. D. h. tit. l. si is qui rem 59. D. de furt. l. in rebus 18. §. ult. D. Commod. l. si quis rem 20. D. de adq. vel amit. poss. Sich. in d. l. pen. Hotom. ibid. Diss. Azo in sum. C. de pos. n. 15. Donel. in d. l. pen. n. 9.*

XIII.

In causa dotis habuit olim locum compensatio *l. 5. D. de impens. in res dotal. fact. l. rei judicatae 15. l. si cum dotem 22. §. si pater l. si constante 24. §. si uxor. l. in his rebus 66. §. 1. D. Solut. matrim. l. 6. C. h. tit.* Sed quaeritur an id sublatum sit per *l. un. §. taceat C. de rei uxor act?* Tentabimus cum pluribus, id sublatum non esse. arg. *l. precipimus 32. in fin. C. de appel. Zas. ad l. divortio §. ob donationes D. Sol. matr. n. 9. & seqq. Barbof. ibid. n. 1. & seqq. Giph. in d. l. un. Diss. post alios Duar. ad d. §. ob donationes.*

XIV.

Illud praetereundum non est, compensationem non habere locum, nisi inter eos, qui sibi invicem debent *l. cum militi 16. pr. l. in rem 18. §. 1. l. pen. D. h. tit. l. ejus 9. C. eod.* Itaque petente marito, non potest reus objicere compensationem ejus summæ, quam sibi debet uxor, *l. 1. & tot. tit. C. Ne ux. pro mar.* Quod tamen fallit apud eos, quorum moribus nomina

mina omnia tam activa quam passiva inter conjuges communicantur, *arg. l. si duo 18. D. de duob. reis.*

XV.

Et si ab herede petam, non potest mihi objicere compensationem ejus, quod coheredi ipse debeo *d. l. 16. Zang. lib. 3. de except. cap. 8. n. 47.* Item si alter ex duobus reis credendi petat, non potest reus objicere compensationem ejus, quod sibi ab altero debetur, *d. l. si duo D. de duob. reis, & ibi Roncheg. n. 16. Duar. ad eund. tit. cap. 2. Godd. de contr. stip. cap. 12. concl. 9. n. 82.* Sanè ex contractu defuncti rectè objicitur compensatio heredi, etiamsi adierit confecto inventario *Fab. C. h. tit. def. 9.* Et cessionario nocet compensatio, quæ cedenti nocitura erat *G. Pap. decis. 567. Rot. Genu. decis. 28 n. 5. Papon. 12. tit. 6. arrest. 2. Neost. dec. supr. cur. Holl. 71. Sand. 3. tit. 17. def. 2.*

XVI.

Proscriptis obærat bonis, unus ex creditoribus fundū sub hasta emit: an pretium cum debito compensare poterit? Non poterit, nisi fortè primū inter creditores locū teneat, *arg. d. l. 16. 18. pen. D. h. tit. d. l. 9. C. eod. l. 2. C. Si in caus. jud. pign. capt. sit. l. eum qui 17. D. Qui pot. in pign. Pap. 18. tit. 6. arrest. 4. append. Moller. ad const. elect. part. 1. const. 32. n. 19. Berlich. part. 1. concl. 81. n. 212. Diff. Papon. d. tit. 6. arrest. 4. Rebus. de pracon. & licit. art. 5. n. 19. Fab. ad tit. C. de distr. pign. def. 33. Mangil. de sub. hast. quæst. 75.*

XVII.

Illud nihilominus verum, compensationem etiam in executione opponi posse, si vel ab initio omissa fuerit, vel iudex ejus rationem non habuerit, *l. 2. C. h. tit. l. 7. §. 1. D. eod. Capyc. dec. 167.* Quin etiam appellationis judicio rectè objicitur compensatio, tamen si non possit institui mutua petitio, *Fab. C. h. tit. def. 15.*

XVIII.

Postremo notandum, compensationem tollere obligationem ipso jure, non ex quo opposita fuerit, sed ex quo invicem deberi cœpit *l. 4. & 5. C. h. tit. l. idem juris est 12. D. eod.*

Donel.

Donel. in d. l. 4. n. 11. Zanger. 3. de except. 8. n. 128. Fab. d. def. 15. in not. n. 3. sibi contrarius def. 4. cod. tit. Inde fit, ut statim cursum usurarum sistat d. l. 12. d. l. 4. ut impediatur, quo minus pœna vel mora committatur. Costal. in l. 11. D. h. tit. G. Pap. decis. 171. Fab. d. def. 4. ut si quis non opposita compensatione solverit, condicere possit in debitum l. si ambo 10. §. 1. D. h. tit. l. qui exceptionem 40. D. de cond. indeb.

XIX.

Fidejussor quoque ipso jure liberatur, pro ea quantitate, quæ à reo propter compensationem peti nequit, l. 4. & 5. D. h. tit. l. 7. l. omnes 19. D. de except. l. ex persona 32. D. de fidejuss. Contra si à reo petatur, non poterit is uti compensatione ejus summæ, quam actor debet fidejussori. arg. d. l. 5. d. l. si duo D. de duob. reis. l. heres 21. §. quod si stipulator & §. ult. l. Granius 71. in fin. pr. D. de fidejus.

XX.

An provisionem quam vocant, impedit compensatio? Impedit, si modò in continenti probari possit; cum species quædam solutionis sit. l. si ambo 10. §. 1. D. h. tit. l. 4. D. Qui pot. in pign. l. dedisse 76. de V. S. Sand. 1. tit. 8. def. 3. Boer. ad Bittur. 2. §. 7. glos. 1. & conf. 14. n. 10. Zanger. 3. de except. 26. n. 83. 115. cum seqq. Itaque si Statutum vetet aliam exceptionem admitti quam solutionis vel similem, haut dubiè admitteremus etiam compensationem.

XXI.

Hoc amplius, etsi juraverit quis, se soluturum esse, non oberit ei jurisjurandi religio, quo minus compensationem opponere possit. Molin. ad Paris. §. 20. glos. 7. n. 11. & §. 47. gl. 4. n. 4. Covar. in c. quamvis de pact. in 6. part. 1. §. 4. n. 15. & seqq. post. Bart. in l. amplius non peti D. rem rat. hab. Quæ tamen sententia ita temperanda, ut procedat, si non debitum antiquius fuerit juramento. Capyc. decis. 167. n. 4. Grot. 2. de jur. Bel. 13. n. 20. Diss. Sarm. 2. select. interpr. 1. n. 11. Zas. in §. in bona fidei Inst. de act. n. 27. Ias. ibid. n. 85. Felin. in c. ad nostram de jurej. n. 11. vers. sed communior.